DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO CHIRURGICA
DE
USITATISSIMORUM
MERCURIALIUM INTERNA
APPLICANDI RATIONI,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM

D. D. PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

LAUREA

RITE OBTINENDA IN CELEBERRIMA

ACADEMIA JOSEPHINA

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Franciscus Hammerschmied,

Bohemus Podersamensis, Medicus Castrensis.

In theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae die 20. Mensis Augusti Anni MDCCCXXXII.

VINDOBONAE.

Typis Antonii de Haykul.

MDCCCXXXII.

MAGNIFICO CELEBERRIMO
DOCTISSIMO ET INTEGERRIMO
DOMINO DOMINO

BALTHASAR PREISS

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI,
NUMMO AUREO MEMORIALI SANITATIS
REGNI BAVARIAE DECORATO,
MEMBRO ACADEMIAE MEDICO-CHIRURGICAE JOSEPHINAE CORRESP. ET SOCIETATIS BOTANICAE REGENSBURGENSIS, MEDICO CASTRENSI PRAETORIO PER SLAVONIAM etc. etc.

VIRO

SCIENTIA, ARTE, EXPERIENTIA,

NEC NON

HUMANITATE AEQUE INSIGNI

FAUTORI

OPTUMO ET BENEVOLENTISSIMO

TAMQUAM

ANIMI GRATISSIMI, SINCERIQUE CULTUS MONU-
MENTUM

PIA CUM DEVOTIONE

HASCE PAGELLAS SACRAS ESSE VULT DEDICATQUE

devinctissimus

auctor.

CAPUT I.

De Hydrargyro in genere.

Hydrargyrum, mercurius vivus s. currens, argentum vivum s. liquidum, est metallum in statu regulino coloris albi, stannei, splendens, sub temperatura communi fluidum; sub frigoris gradu — 33° R. congelatur, et crystallos format octaedricas, quae extendi possunt; in hocce statu dolores urentes, si cuti applicetur, excitat, quam insimul albam reddit; pondus specificum reguli est sub temperatura + 17° R., 13,58..., congelati 14,4... sub temperatura + 21° R. in vapores dissolvitur, quin ebulliat, quod nonnisi sub + 92° R. fit; vapores, destillationis ope obtenti, in vase clauso iterum in metallum coëunt; cum pluribus aliis metallis in amalgama congreditur; in acidis mineralibus pluribus, facillime autem in nitrico solvitur.

Occurrit metallum hocce qua regulus in pluribus terrae locis, abundanter autem in Idria, Austriae provincia, ubi maxima pro parte ex hydrargyro sulfurato (*cinnabari naturali*) et calcibus, destillationis ope educitur, quod autem metallis aliis, praesertim arsenico, stibio, cupro, plumbo et stanno inquinatum pro usu technico aptum, pro usu medico autem, et ad paranda alia praeparata pharmaceutica ineptum deprehenditur.

Hydrargyrum, metallis peregrinis inquinatum minus splendens est, pellicula versicolore obductum, inertius fluit, in globulos minus rotundos separatur, sed caudatos, chartam, per quam ruunt, et manus sordidas reddunt. Praeter hocce vel non integrum in acido nitrico solvitur, sed calcem relinquit stanneam; vel si solvitur, affusa aqua destillata, calcem Bismuthi, aut addita solutione fervida sodae sulfuricae, plumbum, si hocce metallo inquinatum fuerit, sulfuricum deponit. Aliae inquinationes rarius occurrentes adminiculis chemicis quoque deteguntur e solutione in acido quodam neutra.

Purgatio fit aut praevia destillatione, aut quod melius est, ex hydrargyro sufurato nigro, aut cinnabari artefacta, aut hydrargyro muriatico corrosivo reducendo.

Actio metalli hujusce in organismum humanum, praesertim autem praeparatorum diversorum magna est. Ipse regulus, quem et insecta fugiunt, hydrargyrosim producere valet, quod in hominibus, qui metallum hocce longius tractant, comprobatum conspicimus, quod eo melius contingere potest, quo facilius, uti constat, metallum sub communi jam atmosphaerae temperatura in vapores dissolvitur, qui a vasibus resorbentibus in superficie cutis, praesertim autem in pulmonibus per respirationis processum adeo libenter suscipiuntur, ac si metallum fluidum forma unquenti cuti infrigeretur. Major est effectus oxydulorum, respectu quantitatis et temporis, quam reguli, et hisce major oxydorum, fortior tamen omnibus salium, qui oxydum continent.

Existunt medici, qui asserere conantur, hydrargyeum ab organismo vivo assimilari, in sanguinem et materiam organicam transformari. Deduserunt hocce ex deficiente mercurio in sangui-

ne per senas misso, quin praesentia ejusdem in illo denegari possit; nam ex experientia constat, quod post hydrargyri usum membranae mucosae et cutis metallum hocce in forma vaporis exhalent, odore et sapore, imo adminiculis chemicis e. g. auro in lamellam tenuem extenso, comprobatum, quod si cuti hominis, qui hydrargyro usus est, applicetur, in amalgama convertitur. Via autem, quam mercurialia in organismo vivo prosequuntur, alia facile non invenitur, nisi systema primo vasorum absorbentium in tractn intestinali, vasorum lymphaticorum et sanguiferorum. Alii medicorum amant connubium quoddam hydrargyri cum materiis organicis, quin assimiletur, aut in massam et sanguinem transformetur, quasi chemicum defendere, juxta mentem *Divi Hartmanni*, quia organismus vivus intimum cum substantiis adeo peregrinis, uti metalla sunt et sales, connexum recusat, et quia substantiae organicae tantummodo vi assimilatrici cedunt. Nec desunt, qui omnem mercurialium vim stimulo assignant; quem in tractum intestinalem exercent, ubi digestionis opus specifico quodam modo dirigunt. Longe absum, inter discussiones hasce judicium ferre.

Certum, et experientia comprobatum est, hydrargyri praeparata vitam plasticam vehementer adgredi, et singularem snbstrati organici metamorphosim, et vitae totius mutationes non ignoscendas inducere, et sub diversis organismi conditionibus bonum malumve effectum exerere.

Non absque stimulo agunt praeparata hydrargyri in loco applicationis, qui eo gravior est, quo magis praeparata oxydata sunt, sic e. g. oxydum hydrargyri rubrum minima dosi in ventriculum assumtum membranas mucosas ibidem irritat, secretionem et resorptionem in iisdem expe-

dit, alvi excretionem faciliorem reddit, digestionis opus turbat; cuti externae applicatum tumores superficiales, residua inflammationis praegressae, per resorptionem expeditam resolvit; quodsi autem hocce aut alia metalli hujus praeparata, quae ad fortiora nummerantur, uti est sal muriaticus corrosivus (sublimatus) dosi quidpiam majori ventriculo ingerantur, inflammationem ibidem vehementissimam qua venenum specificum producunt, quae mox in gangraenam et sphacelum tendit, et materiam organicam penitus destruit, quem effectum etiam in cuti externa epidermide denudata et musculis producit.

Symptomata, quae post plus minusve continuatum hydrargyri usum in conspectum veniunt, et singularem cachexiae speciem *hydrargyrosim* sistunt, non absimilem diathesi scorbuticae, sequentia sunt; sapor ingratus, metallicus, linqua impura, ardor faucium, sitis adaucta, spiritus foetidus, gingiva tumida, spongiosa, a dentibus, muco glutinoso tectis, retracta, sanguinem facile plorans, dentes longiores apparentes vacillant, copiosior salivae secretio, aut largum profluvium, *ptyalismus*, facies lurida, collapsa, oculi tristes, retracti, colli rigiditas; symptomata febrilia: horripilationes cum calore alternantes, cutis mollis, ad transspirationem prona, imo largiter transspirans, pulsus acceleratus, subdurus. Si usus diutius continuatur, symptomata haecce increscunt, quibus accedunt: caput occupatum, artuum dolores, ossium et carnium emollitio, emaciatio totius corporis, virium prostratio, profusus salivae fluxus, linqua ad tantam saepius molem increscit, ut cavum oris expleat, atque inter dentes promineat, tonsillae eandem intumescentiam nonnumquam patiuntur; ulcera tandem in toto faucium ambitu enascun-

tur, ulceribus siphiliticis non absimilia, sed saniem tenuem foetidam excudantia; sputa sanguinolenta et alvus dysenterica, humorum omnium resolutio et omnia scorbuti symptomata horridum claudunt agmen.

Si citius ab usu horum praeparatorum abstineatur, antequam tristissima haec miseriae imago in conspectum venerit, tamen lanquor et debilitas magna diutius remanet, et praedispositio ad rheumatismum atque arthritidem, imo scorbutum, quae non nisi adaequato regimine diaetetico et remediis, quorum suo loco mentio fiet, extinquitur.

Ex his sequitur, connubium inter mercurium et sanguinem, cujus antea mentio facta est, plasticitatem sanguinis imminuere, nutritionem pervertere, omnes se — et excretiones expedire, resolutionem tandem humorum inducere. Sanquis ex homine hydrargyrato venaesectionis ope detractus, minorem in coagulum nisum ostendit, rubedinis obscurioris; materia fibrosa deficit.

Applicationis locus est duplex: aut cutis, aut membranae mucosae tractus intestinalis. Cuti externae applicatur regulus cum pinquedine quadam in formam unquenti redactus, quae applicationis methodus *cura frictionis* vulgo *cura magna* vocatur. Dividunt practici curam hancce in *minorem* et *magnam*, quarum ultimam iterum in *praeparativam*, *siricte talem*, et *posthumam*. In cura praeparativa individuum, cum quo instituitur, ad susceptionem hydrargyri pronum redditur, quod dupplici fit modo: partim resorptionis facultatem in cute externa elevando, partim receptivitatem et reactionem organismi tali modo constituendo, ut exoptatus de hydrargyro effectus enascatur. Primum balneis fit tepidis, quae cutim purgant, emolliunt,

et vasa absorbentia aperiunt; alterum fit, virium vitalium conditionem constituendo, ut hydrargyrum per cutem susceptum influxum suum salutarem in organismum exercere possit, quin ab illis superetur, i. e. ut *reactio sic dicta mercurialis* intrare possit, quod facile contingere nequit, nisi prius vires exorbitantes inter certos limites restringantur, nisi functio organorum se - et excernentium forsan impedita, liberetur; hinc nonnunquam methodus solvens mitior aut fortior, imo etiam debilitans alternantim cum balneis, frictionibus praemittenda. Tempus durationis et gradus hujusce praeparationis medico circumspecto ad determinandum relinquitur, et ab aegri individualitate dependet ex sexu, aetate, constitutione et cet. desummta.

Cura frictionis stricte talis in determinatum complectitur nummerum frictionum, quae diebus alternis instituuntur, priores matutinae, cum drachma dimidia aut integra Ungt. merc. fortioris, in extremitatibus ab initio inferioribus, dein superioribus, ultimo a tergo ad pectus fiunt, una vice aut pluries repetendae, prouti effectus minus plusve ex imminutione symptomatum et reactione organismi in lucem progreditur. Nisi frictiones matutinae justae institutae ad extinquendum morbum sufficiant, frictiones vespertinae subsequantur cum remediis purgantibus alternantes, dupla quantitate unguenti pro singula frictione.

Tertia totius curae pars constitutiva *subsequam* complectitur *curam*, quae cutis purgationem et mercurii exterminationem ex organismo, et virium vitalium restitutionem qua scopum agnoscit. Remedia hoc exsequentia balnea sunt tepida cautissime adhibita, et pharmaca, plasticitatem sanguinis emendantia, cum diaeta congrua.

Haec mercurium exhibendi methodus, cujus in pagellis hisce tantummodo ideam assignavi, et quam *Clarissimus Luvrier* exactissime descripsit, nisi cum summa circumspectione a medico experto instituatur, hydrargyrosim supra depictam inter omnes alias methodos saepissime qua sequelam agnoscit, et tamen tutissimam in malo syphilitico sistit therapiam, in inveterato vix non unicam.

Dantur medici, qui regulum in decocto aquoso exhibere volunt contra vermes intestinales; observarunt nempe, quod insecta decoctum hocce fugiant. Licet ex experientia chemica constat, regulum hydrargyri in aqua nec frigida, nec ebuliente solvi, tamen virtus quaedam medica aquae huic, in qua mercurius decoquebatur, denegari nequit, si sapor decocti hujus nauseosus respiciatur. Posset decoctum aquosum ex aliquot drachmis paratum infantibus, non tantum, qui vermibus laborant, imo et scrophulosis, minori cum difficultate cochleatim eum syrupo quodam porrigi, quam pulveres ex calomele aut alia remedia.

Si sub applicatione mercurialium praeprimis interna, inexoptata justo citius symptomata in conspectum venissent, uti sunt: salivatio profusa, gingiva spongiosa scorbutica, linqua intumescens, dentes vacillantes, colica, dysenteria; tum per aliquot dies ab usu mercurialium aut penitus abstinendum, aut dosis restringenda, et symptomatibus nominatis remedia congrua opponenda; uti sunt: contra gingivam scorbuticam et dentes vacillantes, remedia astringentia, inter quae acida mineralia diluta qua colutoria in decoctis aut infusis adstringentibus v. g. Rad. ratanhiae; Putamina Nuc. jugland. Cort. quercus, hypocastan. salicis, chinae, primum sibi vindicant locum; salivationem profusam praeter haecce de-

glutitio salivae coercet; contra colicam emollientia et involventia: Spec. et Rad. Alth., Sem. lini, Oleosa et Mucilaginosa; contra dysenteriam, Emollientia in connubio cum sopientibus, optime autem Dect. rad. Salep c. Opio exhibentur. Praeparata sulfuris, in specie haepar, contra hydrargyrosim magnam adeptum est famam qua antidotum.

Exhibentur mercurialia faustissimo cum eventu in morbis sequentibus:

1mo In morbis vegetationis, in quibus specificus plasticitati et reproductioni imprimitur caracter, ad quos tollendos magna requiritur totius vitae plasticae revolutio. Huc prae omnibus pertinet lues venerea; scabies et herpes, praesertim, quod saepius contingit, si complicationis cum lue venerea suspectionem prae se ferunt.

2do In exsuperante formatione materiae organicae, quae digestionis opus acceleratum qua causam agnoscit: in scrophulis sic dictis floridis infantum.

3tio In morbis, in quibus nisus plasticus, et humorum in coagulum propensio exsuperat, quod de inflammationibus valet, praesertim organorum nobiliorum, refracta febri et inflammatione ope venaesectionum aliorumque remediorum antiphlogisticorum, ubi nisus formativus et oportunitas, postquam inflammationis symptomata mitigata essent, aut penitus disparuissent, infringendus est; uti sunt: hydrocephalus acutus infantum, inflammatio laryngis et trachaeae, in exsudationem et coagulationem, in membranarum formationem tendens (*angina membranacea*); in morbis cordis arteriarumve hypersthenicis; post infractam hepatitidem, lieni-

tidem, nephritidem, cistitidem; in inflammationibus glandularum: parotidum, tonsillarum, glandularum axillarium et inquinalium, prostatae, testiculorum, mammarum, ovariorum.

4. In morbis, in quibus materiae organicae solutio et resolutio retardantur, et cohaesio ex inertia actionis vitalis excedit; unde humores spissantur, canales obstruuntur, organa mollia indurantur, viscera et glandulae intumescunt; in iis porro morbis, in quibus humorum resorptio per vasa lymphatica et capillaria retardatur, ex atonia horum organorum per inflammationes sic dictas chronicas inducta: in *hydrope*, in *indurationibus glandularum et viscerum*, *et tumoribus in scirrhum tendentibus*.

5to. Contra *vermes intestinales* praestantissimum infantibus praebet remedium in connubio cum aliis anthelminticis.

6to. Ad praecavendam et sanandam *hydrophobiam*, *tetanum*, *typhum contagiosum* multum laudantur, sed ambiguae virtutis.

Contraindicationes ex illo facile deducuntur, quod hydrargyrum ejusque praeparata omni vitae animali adeo inimica sint, ut totam vitam plasticam infirment, reproductionem pervertant, se- et excretiones ultra normam expediant.

Renititur vi huicce delateriae *organismus firmus*, *robustus*, *virilis*, morbis praegressis *nondum exhaustus*. Hisce sub circumstantiis, si ceteroquin hydrargyri praeparata indicata essent, reactio nulla intrabit, nisi vires vitales ad certum usque gradum a medico experto determinandum refringantur: sub contraria autem rerum positione vi deletariae mercurii mox succumbet organismus justo debilior.

In specie autem repugnat hydrargyri applicationi *constitutio debilis sensibilis, tenera, pthisica, cachectica, scorbutica*, et omnes morbi, in quibus nisus in liquationem, et excretiones profusas dominatur. Ne tamen obliviscatur medicus practicus, nullam dari contraindicationem contra remedium quodcumque absolutam, sic etiam nullam contra hydrargyrum ejusque praeparata; medicus ne plus, quam fas, agere timens, aegrum ex siphilitide perire concedat, quamprimum mercurialia accomodata in usum vocasset.

Complicatio luis venereae cum aliis morbis, in quibus nisus humorum in resolutionem praedominatur, nequaquam hydrargyro usum absolute contra indicat; sed methodus antiseptica, aut roborans, aut excitans prius in usum vocata, dissolutionem humorum coërceat, aut vires vitales nimis dejectas erigat, antequam virus syphiliticum tutum praeparasset organismo interitum, et tum saepius tempus serotinum ope mercurialium tempus salutiferum evadet.

Monendum adhuc venit, quod, quo saepius curae mercuriales in individuo quodam institutae fuerint, eo minus remedia haecce exspectatum provocant effectum, quia receptivitas jam est exstincta, nulla reactio intrabit, et medicus in determinanda dosi et continuanda cura incertus aegrum in columnam mercurialem convertit, quin morbus sufferatur. Medico igitur experto remedia praesto sint oportet in casibus desperatis ubi curae mercuriales inordinatae sine felici successu praemissae fuerint, quibus, ut ita dicam, organismus neuter reddatur, et pristina erga remedium non raro unicum, *hydrargyrum* receptivitas et reactio restituatur. Pertinent huc remedia fulfure potentia: hepar sulfuris, flor., sulf., Lac. sulfur., thermae hydrothyonicae; numerantur huc

porro remedia jamjam nominata, quae sanguinis in resolutionem nisum coërcent, insimul se- et excretiones ad normam reducunt: acida mineralia et vegetabilia, alumen; remedia adstringentia, roborantia: praeprimis autem antiquioribus sic dicta, sanquinem purgantia: rad. Bardanae, Sassaparillae, lign. Sassafras, Guajaci. Post sat continuatum horum remediorum usum non raro contingit, quod hydrargyri praeparata antea frustra tentata felicissimo cum eventu ad exterminandam luem in usum trahantur.

Nulla datur aetas nisi infantilis sugentis, aut summae senectutis, cui contra morbos nominatos usus praestantissimorum horum remediorum non responderet; imo infans sugens mercurialibus tractari potest, non tantum in morbis inflammatoriis hujusce aetatis, sed etiam in lue venerea, si nutrix lactans robusta mercurialibus utatur; nisi nutris sana, aut usum horum remediorum bene ferat, caprae mercurialibus tractantur, et lac illarum mercurio impregnatum infantibus ad sugendum porrigitur. In individuis aetatis provectae, medicus expertus sit in exquisitione praeparatorum. Optime cedit aetas juvenilis et virilis sexus utriusque mercurialium usui.

Diaeta sub mercurialium usu adeo modificata sit necessa est, sicuti morbi, contra quos exhibetur, sicuti individualitas aegri diversa sunt; nec non praeparata singula sub certa applicationis methodo singulare expostulant regimen dietaeticum. Nequaquam concedat medicus sub tractamine cum mercurialibus interno usum acidorum aut remediorum acidum liberum aut abundans continentium, nec non talium in quibus acidum quoddam basi junctum est, de qua facile disceditpropter affinitatem electivam aut praedisponentem cum salibus aut oxydis hydrargyri; abstineat aeger a

vegetabilibus, imo et animalibus, quae fermentationem acidam jam ingressa sunt, aut facile ingrediuntur. Si contra plastoses, praesertim contra luem syphiliticam in usum vocantur mercurialia prae ceteris animi hilaritas, corporis exercitium non defatigans, victus, quo vires vitales in statu sufficientium servantur, atmosphaera aegrum proxime circumdans, nisi curam frictionis excipias, de die ad diem renovata, rarius infra + 16° R. calida, salutarem horum remediorum influxum suffulciunt, quam fere nihil magis coërcere valet, quam atmosphaerae vicissitudines, quibus cura, nisi penitus frustretur, summopere tamen retardatur. In scrophulis sic dictis floridis infantum victus sit facile quidem digestu, sed sanguinis et materiae organicae plasticitatem extra normam non extollens; absint igitur nutrimenta et potulenta aromatica et spirituosa, aër tamen aegrum circumdans purus, corporis exercitium modicum. In morbis sic dictis hypersthenicis regimen dietaeticum omni sub respectu sit stricte antiphlogisticum cum tractamine therapeutico antiphlogistico secundum morbi sedem, intensitatem, durationem, aegri constitutionem sexum et aetatem etc. modificato conjunctum. In helminthiasi a nutrimentis farinosis praeprimis abstineatur, quibus nutrimenta facile digerenda substituantur. Contra hydrophobiam et tetanum si mercurialia in usum vocantur, methodus antiphlogistica in summa extensione et intensitate adhiberi solet.

CAPUT II.

Mercurius dulcis.

Calomel; murias hydrargyri mitis; hy-drargyrum muriaticum mite; hydrargyrum muriatosum mite; mercurius sublimatus dul-cis; protoxydum hydrargyri muriaticum; an-tiquis: aquila alba; panacea mercurialis; manna metallorum; germanis: versüßtes Queck-silber; mildes salzsaures Quecksilber; versüßtes Queck-silbersublimat; salzsaures Quecksilberoxydul; recentissi-mis chemicorum: *protochloras hydrargyri.*

Sal ex oxydulo hydrargyri et acido muriatico, ut juxta opinionem recentiorum hydrargyro et hloro minori quantitate compositus in panis re-ert massam crystallinam, latere inferiori albam, uperiori ex albo flavescentem, compactam, cry-tallos formantem quadrilateras prismaticas, quae, i in loco obscuro fringantur, lucem rubram spar-unt. Qua pulvis colorem ex albo flavescentem nduit, qui per lucis influxum griseus evadit; sine dore et sapore, nec in aqua, nec in alcohole olubilis, per ignem fortiorem absque mutatione estillatur, substantiis alcalinis et metallicis de-omponitur.

Inquinatio cum sublimato corrosivo, sequenti odo detegitur: coquitur pulvis cum sex partibus coholis absoluti, alcohol post coctionem defun-atur, aqua destillata diluatur, quo facto, si aqua lcis affusa praecipitatum profert aurantiacum, ulvis cum sublimato corrosivo inquinatus fuit, ui illi ex paratione non sat caute instituta, ad erebat.

Calomel inter praeparata mercurialia poten-ora mitissima ratione organismum adgreditur,

sed absque magna irritatione citissime effectus producit appertissimos in imminuta cohaesione materiae organicae, et singulari totius vegetationis metamorphosi. Facilius quam alia hydrargyri praeparata salivae et alvi fluxum provocat, et quidem ptyalismum dosibus minoribus, per longum temporis intervallum continuatis, citius in adultis, quam in infantibus; diarrhoeam autem dosibus majoribus cito repetitis, tam in infantibus, quam adultis; quare etiam ad remedia purgantia jure nummeratur. Infantes de regula praeparatum hocce melius ferunt; quam adulti.

Nullus facile invenitur morbus, qui sub certis circumstantiis calomelis usum non admitteret cum effectu salutifero, quare nomen *panaceae* ab antiquis adeptum est. Multi obveniunt medici practici nostri aevi, qui remedium hocce qua universale laudare non dedignantur; minus confidendum est illis, qui unico et solo calomele omnes fere sanari morbos asserunt.

Virtus praeparati hujusce ex sequentibus innotescit:

1mo. Contra luem veneream universalem infantibus felicissimo eventu exhibetur a quarta grani parte incipiendo bis de die, quae dosis paulatim adaugetur ad granum integrum semel, tandem bis de die cum sacharo aut pulvere gummoso, aut rad. Liquir. in pulverem subtilissimum contritum. Infantibus, qui pulverem respuunt, cum syrupo quodam congruo in forma linctus propinatur cum cautela, quod linctus quotidie recens sit praescribendus, aut pulvis breviter ante assumtionem cum syrupo sit commiscendus, ne in fermentationem acidam ruat, quod tempore aestivo facilius accidit. Qui calomel adultis contra ulcus siphiliticum primarium propi-

nantur, dimidiam grani partem aut granum integrum semel aut bis de die praescribunt. Caveant tamen hi practici, ne receptivitatem organismi erga efficaciora hydrargyri praeparata debilitent, aut penitus extinquant, nam juxta experientiam *Clarissimi D. Prof. Zang* mercurialia contra ulcus primarium adhibita, luem universalem praecavere non valent, licet ulcus sub illorum usu sanetur. Methodus Doctoris Weinhold, qui calomel ad scrupulum pro singula dosi et ultra ad vesperasassumendum suadet, praeparatum hocce qua drasticum ostendit; sed virtus illius contra luem nondum sat comprobata; hinc a practicis pluribus relinquitur.

2do. Contra variolas, morbillos, scarlatinam in stadio exsiccationis et desquamationis praestantissimo cum effectu adhibetur in connubio cum pulvere rad. Jalappae aut rad. Rhei; nec non contra febrim biliosam putridam, ubi infarctus in systemate hepatico ex pilis abundantia exorti, solvendi veniunt. Propinatur calomel in tali casu qua pulvis cum sacharo, cujus singula dosis granum integrum ter aut quater de die repetenda venit, alternatim cum remediis statui virium vitalium correspondentibus.

3tio Faustissimo cum eventu adhibetur contra morbos, in quibus actio vasorum resorbentium solicitanda, et humorum per vasa motus est expediendus, praeprimis in hydrocephalo infantum, tam acuto, quam chronico, in connubio cum pulvere fol. Digitalis purpur., aut extracto Squillae; ubi granum dimidium aut integrum utriusque remedii bis, ter, aut quater de die exhibent practici.

4to In inflammationibus, quae in exsudationes, indurationes, concretiones terminare minantur, postquam morbi caracter hypersthenicus opportunis remediis antiphlogisticis fractus est: in phrenitide, ophthalmia praeprimis scrofulosa, angina membranacea, péripneumonia, pleuritide, hepatitide, lienitide, cistitido, orchitide, aliarumque glandularum inflammationibus non tantum traumaticis, sed etiam discrasicis, eadem dosi, ac in casibus praecedentibur.

5to In scrophulosi non tantum caracteris floridi sed etiam torpidi, et in tota morborum serie ex illa profluenti; in inflammationibus, indurationibus, obstructionibus scrofulosis vix non omnium organorum. Exhibetur in hisce morbis calomel aut solum, aut in connubio cum aromaticis, leniter adstringentibus, solventibus, alterantibus et purgantibus; hinc usitatissima medicis conjunctio fit cum pulvere Calami aromatici, rad. Chinae, sulfur. antim. aurat., pulv. rad. Rhei, rad. Jalap. prouti indicatio specialis exigit.

6to .In morbis cordis, arteriarumque, inflammationibus praecipue in polyporum formationem tendentibus, in quibus a practicis nonnullis singula dosis scrupulo, aut drachma dimidia determinatur. In aneurismatibus, ubi operationis institutio fieri nequit, aut ex quacumque ratione contraindicata est, calomel partem constitutivam methodi Cel. Valsalvae sistit.

7timo In paralysi, praesertim tractus intestinalis sub colica saturnina, ad solvendam pertinacissimam alvi obstructionem; in pleurostotono, emprostotono, opistotono, trismo, tetano, dosibus sat magnis, cito repetitis.

8vo Post morsum a cane rabido ad praecavendam hydrophobiam; post morsum ab anquibus venenatis magnis porrigitur dosibus qua solvens antiphlogisticum, alternatim cum sopientibus et diureticis.

9mo Vermes intestinales expellit, qua purgans in connubio praesertim cum aliis anthelminticis, in pulveris, electuarii ant pillularum forma. — Contraindicationes ex illis facile deducuntur, quas hydrargyro in genere assignavi; sed monendum, quod illa momenta contraindicantia non sint absoluta, sed usum calomelis justo longius continuatum tantummodo utplurimum interdicentia, si in morbis antea nominatis exhibitum sit. Ipsa diarrhoea nisi efrenis, sub certis circumstantiis cautum calomelis usum non prohibet; ptyalismus si intrat, pro tempore a calomelis usu abstinendum, et antidota topice applicata enormam salivae secretionem saepissime vincunt.

CAPUT III.

Mercurius niger Hahnemanni.

Synonima: *hydrargyrum oxydolatum nigrum*; *mercurius solubilis (insolubilis potius) Hahnemanni*, *oxydulum hydrargyri amoniacale*; *hydrargyrum oxydulatum nitrico-amoniatum*; germanis: Amoniakhaltiges Quecksilberoxydul; schwarzes Quecksilber-Oxydulat; Quecksilberoxydulat mit Quecksilber Salpetersäure und Amonium.

Praeparatum hocce, uti ex denominatione apparet, est sal metallicum triplex, ex oxydulo hydrargyri, amonio et acido nitrico compositum.

Partium constituentium ratio, qua praeparati hujus in organismum actio admodum determinatur, in eodem semper aequalis sit, necesse est, ut medicus idem semper praeparatum ex pharmacopolis obtineat, et ne de remedii virtute, quae juxta compositionem valde variabilis est, incertus sit. Certum mihi videtur, varias illud praeparandi methodos in causa esse, quod de virtute eximia hujusce remedii a practicis quibusdam dubitatur; hoc ex sequentibus elucebit:

Pharmacopoea hanov. sequentem exhibet parandi methodum: hydrargyrum oxydulatum nitricum in aqua destillata solvitur, sal basicus sub hac solutione praecipitatus, affuso acidi nitrici pauxillo iterum solvitur, dein ex hacce solutione, ope liquoris amonii puri diluti praeparatum Hahnemanni tam diu praecipitatur, quousque praecipitatum pulchre nigrum apparet; affuso justo plus amonio, praecipitatum fit cinereum, pro usu medico ineptum.

Pharmacopoea austriaca civilis hanc praescribit parandi methodum: hydrargyrum purissimum lentissime solvatur in acido nitrico diluto frigido, usque solutio hydrargyro abundet; crystalli, quae paulatim sponte vasis fundum petunt, *hydrargyrum oxydulatum nitricum*, aqua pura frigida leviter ablutae, in larga aquae frigidae copia solvantur. Solutioni huicce sub continua agitatione cum bacillo vitreo amonia pura liquida tam diu instilletur, quousque sedimentum obscure nigrum secedit, quod itrrum aqua destillata frigida ablutum, sub umbra siccatum, in vase clauso, ab accedente luce defenso servetur. Quam methodum etiam pharm. aust. milit. secuta est.

Pharmac. boruss. determinat pondus ingredientium; assummit uncias quatuor hydrargyri puri, acidi nitrici concentrati unc. sex, aquae de-

stillatae ad diluendum unc, duas; ceterum haecce solutio ulterius diluitur cum aqua destillata, et liquore amonii caustici eodem modo, uti in operatione praecedenti separatur.

Parandi methodus ab inventore descripta adeo ampla et ambigua est, ut descriptio opusculi scopo non responderet.

Quo diutius amonii instillatio continuatur, eo magis color praecipitati obscure nigri in griseum transmutatur, quod salis hujusce triplicis in partibus constitutivis mutationem perpessam denotat; ut igitur longe alia sit partium constituentium ratio in illo, quod ab initio secessit, quam quod ulterius; virtus igitur medica longe alia. Cum vero inter nigrum et griseum colorem gradus intersunt intermedii complures, qui pro libitu pharmacopoli mox ad nigrum magis, mox ad griseum referri possunt, hinc ne isdem pharmacopoeus, quolibet die aliud, et alius pharmacopoeus aliud praeparatum exhibeat, a *Cel. Schulze* ad exemplum pharm. boruss. sequens proponitur parandi ratio:

Acidi nitrici concentrati puri parti uni, quatuor aquae destillatae partibus dilutae, addantur in cucurbita, collo angusto instructa, quatuor hydrargyri partes, mixtum in arena ad gradum inter 120 — 140 F. calefacta, relinquatur usque dum metalli solutio manifesto remittat; dein intendatur calor per horas tres aut quatuor ad 200 — 210° F., et postea ad coctionem per dimidium horae continuandam. Quodsi aquae evaporatio eo procederet, ut crystallisationis initium appareret, amissa per adfusam fervidam illico restituenda erit. Solutio, cui semper hydrargyri non soluti pars exigua inesse debet, fervida adhuc, infundatur in vas vitreum, quinquaginta continens aquae destillatae partes, et addito amonii caustici liquo-

re, praecipitetur omne, quod solutioni inhaeret, hydrargyri oxydulum, aequali semper colore nigro, ab initio ad finem usque secedens; cum solutio ad tantum gradum aquae diluta, salem triplicem pro maxima parte in se retinet. Praecipitatum per filtrum a fluido separatum et charta obtectum, expressione gradatim aucta, et calore leni, gradum 70 F, non transgrediente, siccetur; altior enim caloris gradus, aucta oxydatione, pallidiorem reddit praeparati colorem.

Est praeparatum nigrum pulvis mollis, subtilis, coloris obscure nigri, insipidus, igne dissipandus, in aqua et alcohole non solubilis, in acido acetico calefacto solvendus, ex qua solutione refrigerata sal secedit difficulter solubilis; per leviorem inter manus tritum maxima pro parte reducitur; per lucis accessum decomponitur.

Praestantissimum praebet remedium in morbis siphiliticis nondum inveteratis, in ulceribus sic dictis secundariis, praesertim sub circumstantiis, sub quibus de mitioribus hydrargyri praeparatis sanatio tuta et cita non exspectatur, aut propter minorem morbi vehementiam in individuo teneriori, efficaciora, insimul periculosiora in usum vocare non conamur. Est praeparatum, quod dosi parva, tempore sat brevi, effectum salutarem producit, quin salivae fluxus, si cauta manu propinatur, quin cardialgia, asthma, colica, dysenteria timenda sit; sistit ergo praeparatum intermedium inter calomel et sublimatum corrosivum, quorum primum saepe effectum prius non exerit, antequam salivatio profusa intrasset, quod in viris robustis nullum saepe alium, quam salivationis effectum producit, in junioribus, nisi dosis adcuratissime determinetur, non nisi alvum solicitat; alterum praestantius quidem remedium in formis siphiliticis inveteratis, multis aegrorum

propter singularem ventriculi et tractus intestinalis sensilitatem non convenit. Aetas juvenilis et virilis sexus utriusque, constitutio sat tenera in hocce praeparato remedium agnoscit efficacissimum.

Nequaquam tamen usum hujusce praeparati ab omnibus incommodis liberum esse quis credat; nam dantur casus, ubi secundum granum, die quarta assumtum vehementem in sat robustis viris excitasset colicam dysenteriam, non nisi Opio sistendam, sed post vitium diaeteticum commissum. Salivationem, dentium vacillationem, gingivae fere exulcerationem conspexi in aegro sat forti post granum octavum assumtum, sed sanatio cita subsequebatur, et aeger sanatus hucusque per tres annos optima gaudet valetudine.

Applicandi ratio in casibus plurimis mihi sequens fuit: Tractus intestinalis, si sordes gastrici adfuissent, ab illis purgatus est; altera die juxta aegri individualitatem, aut sexta, aut quarta, imo dimidia grani pars pro dosi, semel, nonnumquam ab initio statim bis de die, forma pulveris cum Sacharo aut pulvere gummoso exhibebatur; quae dosis singula, die tertia aut quarta ad duplicem adaugebatur, ita, ut aeger die tractationis sexta aut octava bis de die granum integrum assumeret, quam dosim plurimi aegrorum bene ferebant. Dosis universalis in casibus plurimis grana duodecim raro excedebat. In ulceribus recentioribus secundum granum exoptatum produxit effectum post tertiam jam aut quartam tractationis diem; in casibus autem longe plurimis tractationis tempus diem decimum quartum non multum excedebat. Haecce dosis et tempus, nisi effectum exoptatum praestasset, ceteris paribus, transitum ad Sublimatum suadet.

Exhibui pulveres cum sacharo contritos quatuor aut sex, in loco obscuro et sicco servan-

dos, nam plures doses ad semel si praescribebantur, remedium humescebat, et verisimiliter de virtute deperdebat, de quo tamen compertus non sum; nam tractavi aegrum felicissimo cum eventu, qui pulveres in loco humido asservavit, ut fere colliquescerent. Regimen diaeteticum fuit stricte tale, quale postea usui sublimati assignaturus sum. Praescribitur etiam niger pillularum forma. Cum mucilagine gummi arabici mixtum externe applicatum est.

CAPUT IV.

Mercurius sublimatus corrosivus.

Synonima: Murias hydrargyri corrosivus; hydrargyrum muriaticum corrosivum; hydrargyrum muriaticum oxydatum; recentioribus: perchloridum hydrargyri; germanis: ätzender Quecksilbersublimat; ätzendes salzsaures Quecksilber.

Massam refert crystallinam, compactam subpellucidam candidam, saporis metallici, nauseosi, corrosivi, in sexdecim aquae destillatae frigidae partibus solubilem absque residuo, sic etiam in alcocholis fervidi partibus quatuor; lixiva caustica et aqua calcis ex solutione oxydum hydrargyri qua praecipitatum flavum, aut ex rubro flavescens, separatur.

Adulteratio cum Arsenico sequenti modo detegitur: Solvitur Sublimatus in aqua destillata, ex qua solutione oxydum hydrargyri amoniac purae ope praecipitatur, liquido filtrato, si cuprum sulfuricum additur, colorem viridem *Schelianum* ostendens, et sedimentum serius secedens, prunis inspersum, odorem alliatum si spargit, arsenici praesentiam comprobat.

Praestantissimum inter mercurialia, quae interne assumuntur sistit sublimatus praeparatum contra luem inveteratam nullo alio locum cedens, nisi curae frictionis. Sicuti cura frictionis in casibus desperatis, ubi sublimatus sine successu tentatus fuit, divinum nonnunquam producit effectum, idem etiam de sublimato post frustra tentata alia mercurialia in lue observatum est. Quin de virtute illius contra alios morbos minus certa disseram, ad illud contra luem inveteratam propinandi rationem transgrediar.

Quae de cautelis sub tractatione cum mercurialibus in genere notavi, ad sublimatum praecipue sunt referenda. Nulla datur constitutio, nulla aetas, nec habitus phthisicus, scorbuticus, cachecticus, nec dispositio ad haemorrhagias; minus, quam haec, digestionis organa debiliora, sensibiliora usum sublimati absolute contraindicant, imo circumspectum jubent; nam experientia constat, primam hujusce divini remedii dosim, licet minima fuisset, cardialgiam, emesim, colicam, alvi fluxum excitasse, quibus omnibus per remedia congrua paccatis, continuatus cauta manu sublimati usus perfectam veneris sanationem induxit. Ne abhorreat igitur medicus juvenis ab hujusce praeparati usu, antequam mitiora prius tentasset: ne omni in casu a remedio hocce luis sanationem exspectet, postquam organismus per praemissa mitiora hydrargyri praeparata, in columnam, ut ita dicam, mercurialem, transmutatus sit.

Optima illud applicandi ratio est forma solutionis aquosae. Assumatur ab initio decima sexta grani pars, una, aut bis de die, ad quam dosim adcurate determinandam praescribatur granum unum in aquae destillatae simplicis unciis duabus solutum, quae solutio in vitro exhibeatur hancce solutionem perfecte excipiente, striis in

partes sex decim diviso; hacce ratione dosis specialis pro libitu medici facillime adaugeri potest. Si haecce solutio nauseosa ab aegro libenter non assumatur, tum menstrui quantitas adaugeatur, aut aquae simplicis et aquae destillatae cinamomi partes aequales assumantur, aut breviter ante assumtionem dosis specialis in vitro cum certa quantitate syrupi ejusdam commisceatur. Solutio, quam van Switen praescripsit, in spiritu vini, practicis non amplius in usu est. Dosis specialis quotidie repetenda et paulatim adaugenda est, nisi phoenomena appareant, quae continuatum remedii usum pro tempore cohibent, aut dosin imminuendam suadent. Adaugeri potest dosis quotidiana ad granum integrum, imo et dimidium, rarius ad grana duo. Dosis universalis et duratio totius curae diebus determinari nequit, morbi decursus luculenter observatus illam dirigit. Caveat medicus, postquam appertissima morbi symptomata disparuissent, ne statim a continuato remedii usu abstineat, sed dosim specialem paulatim imminuat. Non solum morbi decursus, sed etiam reactio organismi (febris vespertina, sic dicta mercurialis) medicum in determinanda dosi dirigat. *Diaeta*: aeger abstineat ab omnibus, quae sub interno mercurialium usu in genere interdicta sunt. Victus aegri ad panadellas, embamata, ova cocta, pauxillum carnis assatae vitullinae restrigendus; si appetitus ciborum aegrum ad plura aut alia comedenda coageret, ope Decocti Althaeae, Bardanae aut Sassaparillae pro potu exhibiti imminuatur; temperatura atmosphaerae aegrum circumdantis aequalis sit ad gradum + 16 — 18 R. calida, si aegri conditio civilis admittat, secus tempore vernali, aestivo et auctumnali meridiano in atmosphaera libera obambulare potest, cum cautela, ne refrigerio sese exponat, hora nona lectum petat, quem hora matutina octava de-

erere potest; mentis et corporis exercitium mo-
icum sit oportet, quin defatigetur aeger. Post
uram finitam paulatim ad pristinam vivendi ra-
ionem revertendum est.

Alia, sublimatum applicandi methodus, quam
ractici sequntur, a celeberrimo Dzondi describi-
ur. Exhibent nempe sublimatum in pilulis, quas
um mica panis aut sola, aut, ne nimis durae
iant, addito Sacharo, vel Extracto Liquiritiae
el graminis confici, praescribunt. Pro exemplo
ormula sequens esse potest:

Rp. Merc. subl. corros. gran. tria
solve in suff. quant. aq. destill.
Solut. adde:
Mic. pan. alb. drach. unam
tere exactissime
dein adde:
Extract. Liquir. liquid. scrup. unum
tereantur exactissime in massam
pilul. ex qua form. pil. No.
sexaginta.

Hancce dosim quater repetitam sufficere affir-
nant ad luem devincendam. Pilulas sequenti ra-
ione assumere jubent: ab initio duae; die subse-
uente nihil; die tertia quatuor pilulae; die quar-
a nihil; die quinta sex pil.; hacce ratione pro-
ressio arithmetica die vigesimo nono clauditur,
uo aeger pilulas No. triginta adsumit. Summa
ilularum assumtarum numero 240 determinatur
n qua sublimati corrosivi grana 12 recludebantur.
Tempus assumtionis post prandium est. Regimen
iaeteticum sub hacce cura non tantopere restrin-
unt medici, sicuti usui solutioni assignavi; ego
amen post talem curam, sub qua diaeta non re-
piciebatur, hydrargyrosim exortam aliquoties
onspexi.

THESES DEFENDENDAE.

1.

Hydrargyrum est venenum.

2.

Usus lienis duplex esse videtur, alius pro hepate, alius pro ventriculo.

3.

Status nervosus non prohibet sanquinis detractiones.

4.

Evolutio caloris animalis consolidationi materiae organicae et formationi fluidorum debetur.

5.

Mercurii agendi ratio in syphilitide hucusque explicata non est.

6.

In arte obstetricia methodus exspectativa praecipuum sibi vindicat locum.

7.

Erisypelas a laesione mechanica exortum, et illud qua exanthema occurrens, diversos sistunt morbos.

8.

Recta herniotomiae indicatio, non ex incarcerationis duratione, sed ex illius vehementia abstrahitur.

9.

Contraindicatio remedii est absurditas scholastica.

10.

Non omnis inflammatio antiphlogisticis tractanda.

11.

Usum cultri chirurgici manualem certis legibus restringere, idem est, ac manus chirurgi ligare.

12.

Ductum lacrymalem mechanica ratione pervium reddendo, sanationis negotium blennorrhoeae sacci lacrymalis ex integro non absolvitur.

13.

Digitalis in hydrocephalo est remedium ultimum.

14.

Inter melancholiam, hypochondriam et maniam certae non dantur limites.

15.

Obductio cadaveris in medicina forensi summi est momenti.

16.

Morbum complicatum dissolvere qui nescit, nec simplicissimum curare valebit.

17.

Potus arabicus digestioni obest.

18.

Non datur definitio adaequata de morbis contagiosis.